


BIBLIOTEKA

Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII


3.160

MF



*Biblia. Missori.*





(X)  
15

# ADAMANTINVS SAPIENTIAE CLYPEVS.

Ad

Sagittam proponitur.

A

GEORGIO ARNOLD, Partheniæ  
Academie Consiliario.

*In Collegio Sjenianu: Leopol: Societ: IESV.  
Anno Dñi. 1644 Mense Januar: Die 2 +  
Horā et p[ro]mendiana.*

LEOPOLI, Typis Collegij Societ: IESV,  
: apud Sebastianum Nowogorski.



HIC  
MVRVS AHENEUS  
ESTO

ILVSTRISSIMO DOMINO,  
**DOMINO IACOBO**  
A SOBIESZYN  
**S O B I E S K I,**  
**TERRARVM RVSSSIÆ**  
**PALATINO.**

Krasnostauień: Iauorouień:  
Capitaneo. &c. &c.

GEORGIVS ARNOLD  
FELICITATEM.



*Apientia mea Tibi debebatur, in quo omnis  
Sapientia est. Illustriss: Domine Palatine.  
Nouit illa mentem Tuam, Augustam Sa-  
pientiae Regiam. Nouit Aureum Os tuum,  
Auream Copiose loquentis Sapientiae Maie-  
statem. Nouit exaggeratam Diuino lumine animi Tui In-  
dolem, ita, ut quæ alios ornat, & tutatur, à Te ornamen-*

tum, & præsidium sibi polliceatur, dum se prono in Tuum  
demittit vultu suum. Verum non minus Tibi Sapientiae, &  
Facundiae, quam Martij roboris Fama prospera. Veneratur  
Patria pectus tuum, firmissimum publicæ securitatis Cly-  
peum. Hæc enim est Tuæ ab Atauorum memoriâ nunquam  
effætæ prærogatiua Domus, Palladem Marti adamantino  
sociare nexu, & vnâ laureâ Clypeos cum libris nexos, No-  
biles formandorum Animorum formas seræ transmittere po-  
steritati. Quippè illud est perenne domesticæ Tuæ Felicita-  
tis miraculum, neminem solâ auorum gloriâ Magnum cen-  
seri, omnes generis, & virtutis simul merito Magnos præ-  
dicari. Tu unus mihi es ex omnibus Argumentum, qui ex  
Tuis, & ex Te ita Magnus es, ut tantum absit, ut am-  
plissimi Reipublicæ Honores Te extulerint, ut per ma-  
gnitudinem Sapientiae, & Fortitudinis Tuæ honoratos se  
esse glorientur. Hoc enim est Magnæ Tuæ mentis prodi-  
gium, ut non solum dignitates Patriæ, sed etiam Diuinio-  
res animi Tui dotes ab illâ Indolem, Decus, & Magnitu-  
dinem hauriant, que in alios satis felici fato famam Ma-  
gnitudinis solent deriuare. Ab hac Magnâ Mente Tuâ,  
ornamentum sibi postulat Sapientia mea, Illustriss: Dñe Pa-  
latine. Tu quo polles Illustrissimo vultu Tuo Clientem  
non dignaberis sapientiam.

# CONCLVSIONES Vniuersæ Naturalis THEOLOGIÆ.

## I.



Metaphysica Naturalium scientiarum domina, naturalem sui appetitum in hominibus excitat; Pro obiecto communissimo habet Ens communissimum; Materiali proprio, Ens reale; Formali, Ens ut ens; Attributio-  
nis solum Deum. Scientia propriè est, certiorq; alijs sci-  
entijs naturalibus, utpote Sapientia Vniuersalis vniuersa-  
litate excellentiae, & virtutis; Considerat res, & secundum  
genus, & secundum speciem, & secundum rationem indi-  
vidualem, licet hoc ultimum, non primò, & per se.

2. In primis principijs, ut prima principia sunt immediate, & per se acquiescit, quæ etiam mediatae per discursum, ut sunt conclusiones cognoscit. Propriè speculativa est; Sci-  
entias sibi non subalternat rigorosè: Una genere, non spe-  
cie infima. Causam sui efficientem Primam, & materialem  
intellectū habet; Finem, assecutionem felicitatis naturalis.

3. Principia eius Vniuersalissima sunt hæc: Quodlibet  
est, vel non est: Impossibile est idem simul esse, & non esse;  
quæ non sunt formaliter idem, sed primum fundatur in con-  
uenientiâ Vnius prædicati ex contradictorijs sine ullo ad-  
dito cuilibet rei. Secundum in summâ in ordine ad vnam  
rem re-

rem repugnantia duorum contradictoriorum prædicatorum, vnde verè dicitur, Implicitat idem simul esse album, & priuatum albedine; falsum: quodlibet est album, vel priuatum albedine.

### II.

**E**NS non contrahitur ad sua inferiora à negationibus, nec à differentijs per modum compositionis Metaphysicæ, sed per modum expressioris conceptus. Transcendit autem quamlibet differentialē rationem vltimam. Ens Participiale de nullâ prædicatur essentialiter creaturâ; secus Nominales.

### III.

**N**ominale Ens, & Participiale, præcisa tantum à creaturis non sunt genera respectu entis possibilis, & entis existentis formaliter reduplicatiue. Abstracta tamen ab ente possibili Logice, & ente existente, prout includunt Increatuum, sunt Vera genera.

2. Ens nominale est genus respectu entis possibilis, & entis existentis, non ut entis possibilis, & existentis, sed ut contracti per differentias plures, siue sit præcism ab ente Creato tantum, siue Creato, & Increato. Similiter Participiale. Nominale adhuc est genus respectu existentis ut sic præscindentis ab actuali, & possibili. Iam tamen supra Ens Nominale, & Participiale non datur ratio superior Vniuersalis in ratione entis.

### IV.

**E**ns in quantum illi non repugnat existere, habet Passiones non Physicas, proprias tamen, quæ Attributa re-

ctius

Etius dicuntur: Hæc ab ente distinguuntur solâ ratione, Con-  
uertuntur cum illo, tria sunt, & hunc ordinem seruant;  
Vnum, Verum, Bonum. Rigorosas sui causas realiter à se  
distinctas non habent, sed tantum virtualiter.

V.

**V**Num Transcendentale in recto dicit quiddam positi-  
uum, à quo inadæquate distinguitur Ens, id est, dicit  
ipsum ens ut principium indiuisiōnis in se, ut sic, abstractæ  
ab extrinsecâ, & intrinsecâ, & diuisionis ab omni alio, quod  
non est ipsum; quam indiuisiōnem, seu negatiōnē diuisiō-  
nis, & diuisionem ab omni alio dicit in obliquo essentiali-  
ter ut partem, & non solū ut terminum connotatum.

2. Individuationis intrinsecum formale principium, nec  
est forma substantialis, nec materia tām sola, quām signata,  
neque collectio plurium accidentium; sed ipsa entitas rei,  
ideoque non est distincta individuatione nemine cogitante  
à re individuatā, licet distinguatur solâ ratione.

3. Identitas cum alio est ratio, quā vnum est idem indi-  
uisibile ab alio; Distinctio autem est ratio, quā vnum est  
aliud ab alio, Signum distinctionis Realis est, Separabi-  
litas extermorum mutua etiam Diuinā virtute, vel produci-  
bilitas vnius ab alio, vel relatio realis inter aliqua, & di-  
uersitas suppositorum. Modalis distinctio est alietas rei à  
modo, vel modi à modo, quos dari probabilius est. Signū  
huius distinctionis est, separabilitas extermorum haben-  
tium se per modum determinabilis & determinatiui, uno  
solū extremo permanente. Distinctio virtualis fundans  
præcisiones obiectivas est in simplicissimā entitate realiter,  
non

non actu, sed per æquivalentiam, quia scilicet æquialer distinctioni reali, in ordine ad duo prædicata contradictionia. Distinctio Rationis ratiocinantis est circa rem solum. Ratiocinata est cum fundamento in re, quod est aut operatuitas diuersorum effectuum, aut Conuenientia, & disconuenientia cum multis, aut tenuitas lumenis intellectualis. Distinctio autem formalis seu ex natura rei actualiter existens nemine cogitante implicat.

## VI.

**V**erum Transcendentale in recto dicit Ens ipsum ut principiatuum cognitionis veræ speculatiæ, siue actualis, siue possibilis, siue Creatæ, siue Increatae: In obliquo autem dicit ipsam cognitionem, non ut terminum connotatum, sed ut partem in obliquo significatam; Vnde denominatio Veri partim est intrinseca, partim extrinseca.

2. Falsum ut opponitur vero transcendentali, est quid positium, & contrariæ ei opponitur, & est id, quod est aptum cognosci per modum alterius, vnde est idem quod apparet Verum; Nec est Vniuersalis passio entis,

## VII.

**B**onitas Transcendentalis est Ens ipsum ut conuerit sibi, & alteri. Malum ut opponitur Bono Transcendentali est id, cui aliquid deest ad suum esse; seu, quod non conuenit sibi, nec alteri, vnde priuatius ei opponitur: Non conuertitur Vniuersaliter cum Ente. Concessis inter gradus Metaphysicos præcisionibus obiectiuis, nondum inter Ens, & passiones eius possunt concedi.

## VIII.

## VIII.

Possibilitas remota alicuius essentiæ realis, non dependet in suo conceptu ab Omnipotentiâ DEI, est autem id, quod non includit in suo conceptu prædicata contradictionis; Dicit in recto ens verum, non tamen actuale; In oblio quo negationem contradictionis.

2. Possibile Ens in purâ potentia, & existens actu idem est. Sed propter diuersitatem statuum possibile physicè, seu in purâ potentia addit non habere se actualem existentiam, quam existens formaliter dicit. Ens autem possibile remote, vel Logicè præscindit à DEO, Diuini actibus, & creaturis, quod, vt est possibile proximè, si est DIVINUM ESSE, est à seipso sine ullâ causâ. Si sunt Diuini actus, sunt possibiles proximè in DEO per Identitatem, si est Creatæ Essentia, est possibilis proximè à D E I potentia productiuâ, à quâ dicitur etiam producibilis.

3. Essentia, Quidditas radicalis, & Natura idē sunt, Connotatis tantum differunt. Physicæ, & Metaphysicæ Passiones, quia habent prædicata essentialia, & quidditatiua, habent essentiam, & quidditatem formalem, non tamen radicalem, aut rigorosè Naturam, sic enim sunt potius Naturæ affectio-nes. Essentia, etiam Creatæ non distinguitur realiter neme cogitante ab existentiâ, neque per intellectum præscindi potest præcisione obiectiuâ, sed tantum formalis. DEI essentia præscindi potest ab existentiâ Actuali absolute, non tamen actu præcisuo absoluto, sed solum conditionato V. G. si DEVS existat non sequuntur duo contradictoria.

Essentiæ rerum creatarum non solum in essentiâ DEI causatiâ rerum habent esse Eminentiale, vel Potentiale, neque solum in Intellectu DEI habent esse reale obiectuum; sed etiam in se ipsis habent ab æternio Esse reale positium, non tamen realiter actualiter. Vnde quoad non repugnantiam, seu non inclusuitatem Conditionalem duorum prædicatorum Contradictiorum præ-supponuntur antecedenter ad Omnipotentiam DEI, consequenter sunt à se. Aliâs non esset ratio, cur Omnipotentia DEI potius denominaret Petrum, quam Chimæram pos-sibilem proximè.

## IX.

Conceptus primus Substantiæ non est carentia dependentiæ, nec id vniuersaliter, per quod respondemus interroganti, quid est? Sed est prima radix cæterorum omnium, quæ sunt in illâ primâ re. Persona vero est rationalis naturæ indiuidua, seu incomunicabilis substantia. Suppositum, Hypostasis, Persona, in creatis superaddunt aliquid reale positium naturæ, non Modale, sed absolutum, quod est subsistens.

## X.

E ffectus formalis Subsistentiæ, non est reddere rem independentem à subiecto; nec reddere rem alteri incomunicabilem, tanquam parti; nec reddere naturam potentem operari; Sed cum ipsa sit complementum substantiale naturæ, est reddere eandem completam, & perfectam substantialiter, proinde reddere incomunicabilem natura-liter alteri, seu propriæ, seu alienæ subsistentiæ, quam in-commu-

communicabilitatem radicaliter tamen de se natura habet.

2. Causa tām materialis, quām effectiva subsistentiæ est ipsa natura, cui in diuisibilitate, vel in indiusibilitate subsistentia proportionatur. In rebus Compositis componitur ex duābus partialibus, quarum altera est per modum actus, altera per modum potentiae. Non influit autem actiūe in operationes, vnde sine illā natura supernaturaliter conseruata, operari naturaliter potest. Potest eadem natura assumi diuinitus à pluribus personis, & ab vnā personā plures naturæ.

3. Conceptus primus Accidentis est, esse extra conceptum primæ rei, in quā est. Proprietas eius est Inalietas tām actualis, quām proxima aptitudinalis, quā probabilius est modus.

## XI.

**Q**uantitas distinguitur realiter à Substantiā materiali; Cuius essentia non in ratione mensuræ, nec in communicatione diuisibilitatis substantiæ materiali, cùm materia ipsa non careat partibus entitatiis extensis, tām quoad se, quām quoad locum; sed consistit in esse itione partium extra partes cum impenetrabilitate formalī.

## XII.

**Q**uantitatis effectus primarius formalis est, Completere materiam ad essendum in suo loco adæquato solā sine alio quanto, seu reddere materiam impenetrabilē formaliter cū alio quanto. Passio eius est sola mensura. Materia spoliata quantitate, potest, non tamen debet reduci ad pun-

ctum, quæ neque localiter moueretur ab agente corporeo; posset moueri à Spiritu, & à propriâ grauitate, & tunc celerius moueretur. Animal spoliatum quantitate, non potest connaturaliter se ipsum mouere progressiuè.

2. Quantitatis secundarij effectus duo sunt distincti à se. Primus est actualis impenetratio consistens in hoc, quod duo corpora non vbi cantur in eodem loco. Secundus est ipsa actualis localis extensio partium, quæ est idem, quod Figura extrinseca situialis. Figura enim Organica seu intrinseca, est extensio ipsarum partium quoad se. Diuiditur autem Quantitas in Continuam, & Discretam.

### XIII.

**Q**ualitas est Accidens absolutum, non quantum, sed qualificans. Diuiditur in habitum, & dispositionem, Potentiam, & Impotentiam; Passionem, & Patibilem qualitatem, in primas, & secundas qualitates, in Figuram, quæ est terminatio quantitatis in non viuentibus, & Formam, quæ in viuentibus. Propassio est passio animi breuiter durans, cum summa rectitudine coniuncta, sequens rationem præuiam, non præueniens.

2. Proprietates qualitatis sunt; Habere Contrarium, non tam propter incapacitatem subiecti, quam propter oppositionem ipsarum inter se qualitatum. Esse intensibilem, & remissibilem, non tamen vniuersaliter; unde Potentiae si distinguuntur ab animâ, Characteres Sacra mentales, voluntiones, & Intellectiones non possunt intendi gradualiter per additionem partium ad partes: Esse similem, vel dissimilem. Situs est dispositio partium in ordine ad locum.

Habi-

Habitus est dispositio rei habitæ in habente. Quæ duo prædicamenta non distinguuntur ab ubicationibus. Formalitas est ratio conceptibilis in aliquo Ente, & distinguibilis ab ipso per intellectum cum fundamento in re, vel circa rem; Vnde actualiter nulla est à parte rei.

#### XIV.

**I**ntelligentias de facto dari ipse Aristoteles assensus est. Tres sunt ordines, ad quos omnia possibilia genera, & species reuocantur; Materialis, Immaterialis, & Compositus ex prioribus duobus. In medio collocantur Angeli, qui sunt simplices completi, & Incorruptibles.

#### XV.

**S**pecie differunt omnes Intelligentiæ, non implicat tamē se as multiplicari Diuinitùs solo numero intra speciem eandem. Numerum earum non comprehendimus, dicimus tamen non plures esse multitudine numericā, plures tamen incomparabiliter multitudine specificā omnium rerum materialium. Triplicem habent Hierarchiam, quæ mansura est etiam post diem Iudicij.

#### XVI.

**I**ntelligunt per species impressas, quæ non producuntur ab obiectis, nec ab ipsâ substanciali emanant Physicè; sed à Deo concreatae sunt illis ad exigentiam naturæ. Su-

perioris Hierarchiæ vniuersaliores, proindeq; pauciores habent species, propter perfectius suum esse. Assumunt corpora non per vniōnem substantialem, sed per assistentiam. Vbi habent definitiūm.

## XVII.

**D**E DEO vt de primâ, & vltimâ rerum Causâ, à priori nulla est demonstratio, à posteriori ipsum vniuersum demonstrat Deum existere; Hic vnuus est, Infinitus, Simplex, & Omnipræsens.

## XVIII.

**S**Vbstantia, Spiritus, & Amor non sunt Prima prædicata DEI. Existens vita actualiter essentialiter, est Primus adæquatus conceptus eius, qnæ est ipsa intellectio substancialis actualiter existens. Intellectus enim in Diuīnis nō potest cōparari vt Principium, & Radix prima Intellectionis.

## XIX.

**D**EVS cūm sit principium omnium creaturarum, ab Deoq; tam in esse, quam in conseruari omnia dependant, Concurrit ad operandum cum eis uno indiuisibili concursu non prædeterminando Physicè ad effectus causas necessarias, nec liberas, hæc enim prædeterminatio, siue sit qualitas permanens, siue transiens, quæ infallibiliter traheret secum operationem Causæ secundæ, læderet libertatem Creatam, quoad specificationem, & quoad exercitium.

2. Determinatio ad hanc formaliter indiuiduationem actusliberi prouenit à voluntate Dei, quæ in actu primo non

non offert Concursum ad quemcunq; actum amoris, & ad quemcunq; actum odij, sed ad hunc numero amorem, & ad hoc numero odium, vt voluerit, vel amare, vel odiisse Creatura. Non tamen determinatur ad id per aliquid Physicum illi inhærens, nec prædeterminatur absolutè ad amandum, vel ad odiendum, sed sub conditione si voluerit amare, vel odiisse. Nec est ex parte Creaturæ prior determinatio ad odium in specie, quam ad Hæcceitatem odij, sed dum se determinat ad odium in specie, simul se determinat ad hoc individuum, quia non habet concursum nisi ad hoc individuum.

## XX.

Creatura etiam per absolutam Dei potentiam nullum effectum potest producere sine immediato Physico influxu D E I, vnde nec peccatum; non tamen est propterea dicendus Deus esse causa, aut malitiæ formalis, aut ( quod impie impius vult Caluinus ) malitiæ radicalis peccati, quia præter intentionem suam in ipsam positiuam entitatem radicaliter malam influit concursu subordinatio ab ipso Deo Voluntati Humanæ,

2. Tota autem hæc Subordinatio in hoc consistit, quod Voluntas Creatæ concurrat ad actum odij, v. g. Voluntariè, & proximè libere. DEVS verò concurrit ad illū actū non proximè voluntariè, qui licet libere suā Omnipotentiam applicauerit in actu primo ad concurrendū cum Causā secundâ indifferenter ad Odium, vel ad amorem, proximè tamen ad Odium applicatur ab ipsā voluntate Creatrā, quæ mouetur immediate à cognitione indifferenti circa obiectum propositum.


3. Vn-

3, Vnde simpliciter causa alicuius effectus est illa, quæ per se influit in effectum, illa autem per se influit, quæ vel concurrit determinata naturâ suâ in actu primo ad illum, vel quæ seipsum liberè determinat ad illum eundem effectum, particulari, vel vniuersali intentione eum intendens, qui effectus sic productus ab aliquo, dicitur simpliciter eius effectus. Vnde bonum Opus liberum quamvis per in-differentem concursum, quantum est ex parte DEI, à DEO productum, quia tamen absolute est inten-tum, & Volitum à D E O, dicitur non secundum quid, sed simpliciter  
• Effectus DEI.

*Ad Maiorem DEI Gloriam, Beatae MARIAE Vir-ginis Immaculatae Conceptæ Honorem.*



8976  
m



581

8976  
14

